



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De
Contractibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDCCXXXIII.

VD18 90392159

Q. 1. An licet peccatores occidere?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40993

sus Domini. Hinc illud, Prov. 12. *Novit justus jumentorum suorum animas: viscera autem impiorum crudelia.*

Q. I. An licet peccatores occidere?

Resp. Licet auctoritate publica occidere peccatores Reip. noxios. Prob. 1. ex Exodi 22. *Maleficos non patieris vivere*, & ad Rom. 13. de supremo principe dicitur, *Non sine causa gladium portat, Dei enim Minister est, vindex in iram, ei qui malum agit.* 2. Quia talis potestas necessaria est Reip. ad bonum commune, & publicam tranquillitatem: Ideoque à Deo Reip. concessa est. Et quia pars noxia toti potest ob totius conservationem excindi, cum pars sit propter totum.

Resp. II. Non licet auctoritate privata peccatores occidere, præcisè propter eorum scelera. *Ita omnes ex Mat. 26. Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt.* & ex c. *Quicumque 23. q. 8.* quia non licet occidere peccatores, nisi auctoritate à Deo concessâ propter bonum commune; ac proinde id ad eum solum pertinet, cujus est procurare bonum publicum. Nec obstat, quòd interdum permittatur, ut quis possit occidere quosdam subditos Reip. publicos hostes; quia tunc non occiduntur privatâ, sed publicâ auctoritate concessâ à Principe.

Sed an licet verberare aliquem ob culpam, quam admisit?

Resp. Non licet, nisi habenti potestatem in delin-

delinquentem; quia (ut ait S. Thom. 2. 2. q. 65. a. 2.) *Per verberationem nocumentum infer- tur corpori ejus, qui verberatur; nocumentum au- tem inferre alicui non licet, nisi per modum pœne propter justitiam. Nullus autem justè punit ali- quem, nisi sit ejus jurisdictioni subjectus. Et ideo verberare aliquem non licet, nisi habenti potesta- tem aliquam super illum, qui verberatur. Et quia filius subditur potestati Patris, & servus potestati Domini, licite potest verberare Pater Filium, & Dominus servum, causâ correctionis & discipli- nae. Idem dic de Magistro, & tutore; quia gerunt vicem Patris.*

Q 2. *An licet occidere uxorem, vel Filiam in adulterio deprehensam, vel ipsum adul- terum?*

Resp. Neg. Est communis. Prob. ex cap. Inter hac & seq. 33. q. 2. & ex S. Aug lib. 2. de adul- ter. conjug. cap. 15. ibi: Non licet uxorem adul- teram occidere, sed tantum dimittere. 2. Quia non licet propriâ auctoritate, ut patet; neque etiam ullâ lege humanâ potest id fieri licitum: tum quia ubi observari potest ordo judicii, iniquum est Reum inauditum, destitutum om- ni defensionis remedio, nullo servato Juris ordine, & sine judicio punire, pœnæq; execu- tionem committere ipsi offenso, & quidem illico, cum animus recenti offensa maximè pertur- batus est. Hinc Reg. Jur. 136. Non est singulis concedendum, quod per Magistratum publicè fieri possit.